

## CAPUT II.

**A**ngina est inflammatio gutturis & faucium, respirationem difficilem reddens, deglutionemque impediens, à sanguine vel puro, vel aliis humoribus commisto influente, ortum ducens. (g)

§. 1. Nominalem descriptionem excipit realis, quæ omnibus anginae differentiis, ac tam veræ & exquisitæ, quam spuria & minus exquisitæ, accommodari potest.

§. 2. **GENERIS & FORMÆ** locum occupat **INFLAMMATIO**, quæ duplicem infert morbum, unum in intemperie cum materia, alterum in auctâ magnitudine. Intemperiem faucibus inducit affluxus sanguinis, sive is fuerit purus, sive cum aliis vitiosis succis commistus, qui sanguis deinceps extra vasa effusus, naturalem gutturis & faucium magnitudinem vitiat, tumoremque præternaturalem inducit.

§. 3. Referri etiam potest inter morbos qui causam habent continentem. Acutus simpliciter nominatur. Nonnunquam primaria est, nonnunquam alios morbos consequitur, ut pleuritidem, peripneumoniam.

§. 4. *Hippocrates* (h) distinguere videtur inter anginam, & (h) 6. Epid. inter faucium inflammationem, dum ita scriptum reliquit: *Φάρυγες ἢ βήχασι τὸ ὑπερβου βραχέαι. κύναι γχαί ἢ &c. Faucium quoque inflammationes eaque breves aderant: anginae autem &c.* Verum cum *Celeberrimo Medico Sennerto* p. m. dicendum putamus, *Hippocratem* per anginam intellexisse inflammationem musculorum laryngis, quæ respirationem valde reddit difficilem, auræque viam intercludit: per inflammationem verò faucium aliarum partium vicinarum inflammationem, quæ non tam atrociter impedit respirationem. Vel potest illa in faucibus inflammatio angina notha appellari, & ita duplex notha constitui, una ratione causæ, altera ratione subjecti.

A 3

§. 5.

(g) *Sennertus præct. med. lib. 2. p. 1. cap. 24. Nicolaus Piso lib. de morb. cogn. & cur. c. 3. Ranchinus tr. de morb. subit. c. 10. Vascus Castellus tr. de angina c. 1.*